



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De monacho, qui socio post mortem apparens, dixit: Non putabam
Dominum ita esse destrictum, cap. 28.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

meum illum inflammaui; & quia in causa non erat libido, sed pia intentio, bene potero iuari. Hæc cum relata fuissent militi, vxori valde condolens, orationibus, ieiunijs, & eleemosynis illi succurrere studuit, animam eius, quibuscunque poterat, commendans. APOLLONIVS: Terribile est, quòd Deus iudicio nostro tam minima tam grauius punit. CAESARIVS: De hoc referam exemplum.

CAPVT XXVIII.

*Minuta
puniri de
licta.*

MOnachus quidam ordinis nostri nuper cui-
dam post mortem apparens, requisitus de sta-
tu suo, sic respondit: Nunquam putabam Do-
minum fuisse tam districtum; nam minima, quæ hic non
fuerint per satisfactionem deleta, obseruat; deinde
subiunxit & hoc: Deus, inquit, ignoscat prælati no-
stris, quia magnis & multis sæpe nos subiiciunt poenis,
valde illorum præcepta ligant: quando enim indiscre-
tè aliquid præcipiunt, & subditi hoc minus attendunt,
vel paruipendunt, futuro iudicio referuatur. APOLLO-
NIVS: Quid dicis de monachis pertinacibus? CAESA-
RIVS: Pertinacia vitium est poena dignum, etiã si fuerit
bona, contra præcepta prælatorum.

CAPVT XXIX.

*Pertina-
cia.*

IN regno Franciæ, domus est, quæ Pruli dicitur, or-
dinis Cisterciensis; in hac recenter contigit res sa-
tis mirabilis, sicut retulerunt nobis Abbates nostri
anno præterito reuertentes de generali capitulo: nam
quidam ab Abbate, in quo visio facta est, se audiuisse re-
stati sunt; Adulescens quidam in eadẽ domo factus est no-
uitius, quẽ magister suus mox secutus est, qui cum factus
fuisset monachus, ita districtè se habuit, ita singularis
fuit, vt ei Abbas timeret, & pro indiscreto feruore sa-
pius argueret. Ille verò salutaribus monitis non acquies-
cens, in pertinacia sua perseverauit, sicq; post aliquot
annos defunctus est. Nocte quadam, cum Abbas quarta fe-
ria ad laudes in stalli suo staret, & contra presbyterium
respiceret, tres personas, quasi tres candelas ardentes, ad
se venire contemplatus est; quibus propius acceden-
tibus, cognouit omnes: medius fuit prædictus schola-
sticus,